

Primario. **Prima** est: Quod est indifferens ad producendum hunc, vel illum effectum, non potest eum destructum iterum restituere: sed causa secunda est indifferens ad producendum hunc, vel illum numero effectum; ergo non potest hunc destructum iterum reproducere naturaliter.

Resp. Respondebitur tamen, quod sicut causa secunda est indifferens ad producendum effectum B, & tamen producit effectum B, ita denuo poterit destructum illum effectum B reparare, cum sit æque indifferens, & æque potens ad illum producendum denuo, atque ad producendum effectum A, saltem ex parte sui.

Secunda. **Secunda**: Postquam res est producta, non amplius remanet in potentia activa sui producentis, ergo non potest iterum produci ab eo.

Resp. Respondebis negando antecedens; cur etenim Petrus productus est à Ioanne, & postea mortuus non iterum poterit æque benè denuo produci à Ioanne, atque Paulus? non enim maior virtus requiritur ad denuo producendum Petrum, quam ad producendum Paulum; non enim requiritur, ut primo producat Petrum, secundo Paulum, &c. est enim semper eadem virtus ad producendum rem hunc, quam illum, agens enim, in quantum est in se, æque potens est producere nunc, quicquid poterat prius.

Tertia. **Tertia**: Vnitas, & identitas effectus petitur ex vnitate numerica actionis, seu motus subiecti, termini, & temporis ex *Physico*. at neque eadem numero actio potest reparari naturaliter, neque idem tempus, quia tempus illud est præteritum; ergo non potest naturaliter idem numero effectus redire.

Resp. Respondetur loqui Aristotelem de vnitate secundum nostram cognitionem; discernere enim solemus talem effectum eiusdem causæ esse numero diuersum ab alio effectum eiusdem causæ, quia diuerso tempore est productus: aut quia diuerso tempore diuersi effectus producuntur, idè dicuntur diuersi: imò in eodem momento temporis duo effectus omnino diuersi possunt produci, v.g. ab eodem numero igne, & eadem numero virtute agente, & eodem momento temporis liquefit cera, & indurefcit lutum; ergo vnitas temporis non dat vnitatem effectibus; tempus ergo erit quid extrinsecum effectui: vnitas verò actionis potest reparari; quia actio est via ad terminum, vnde si terminus possit reparari, ergo & actio, seu via ad illum: at supponimus terminum posse reparari, ergo & actionem: probare verò terminum non posse reparari, cum actio non possit reparari, est petere principium; idè enim dicimus actionem, & motum posse reparari, quia terminus potest reparari, quod verò subiectum sit idem numero reparabile, manifestum est, potest enim eadem numero aqua ab eodem agente calefieri pluries.

Obijciatur. Obijcietur Non videtur maior implicancia rem, quæ iam fuit, iterum reparari, quam rem, quæ nunquam fuit, produci: sed hoc vltimum ordinariè fit, ergo & istud poterit fieri.

Resp. Respondeo esse disparitatem; antequam enim res fiat, est in potentia activa agentis: at postquam facta est, non est amplius; quod enim est egressum ab aliquo; non est amplius in illo; ergo postquam productus est effectus, seu posi-

tus extra causam suam, non potest amplius ab illa causa profluere, vnde corruptus nequit idem numero redire virtute suæ causæ naturalis.

Inhabet. Instabis: Negatio corruptioni rei succedens est eiusdem rationis cum ratione præcedente generationem: sed secunda negatio non impedit generationem rei; ergo nec prima reffaurationem rei.

Resp. Respondendum cum Capreolo citato negando paritatem illarum negationum; nam negatio succedens corruptioni, quia interrupt entitatem rei præexistentis, facit, vt productio subsequens non sit eadem cum præcedenti, idè quæ res producta non sit eadem: at negatio præcedens generationem non interrupt entitatem rei, & per consequens nihil nocet vnitati rei.

Resolutio secunda: Quæcunque res permanens potest virtute diuina reparari eadem numero. Probatur primo: Si nulla detur ratio, cur id repugnet naturaliter, ergo à fortiori nulla dabitur, quod repugnet supernaturaliter: at ex dictis superiori conclusionè nulla ratio ostendit euidenter id repugnare naturaliter, ergo nec supernaturaliter, igitur id fieri poterit supernaturaliter.

Secundo: Hoc est de fide quoad corpora hominum in resurrectione eadem numero reditura, ergo non repugnat alia entia permanentia eadem numero redire diuinitus; non enim maior implicancia videtur in alijs, quam in homine; inconuenientia enim omnia, quæ afferri possunt contra alias reproductiones, valent etiam de reproductione hominis; nam licet anima hominis non reparetur, eius tamen corpus denuo debet reparari, & tanta est implicancia in reparatione corporis humani, quam in reparatione formarum materialium.

Tertio: Si esset aliqua repugnancia, illa non peteretur ex parte Dei, cum sit omnipotens, ergo ex parte effectus; ex parte autem effectus vel peteretur ex necessitate diuersitatis temporis, aut actionis: non actionis, quia Deus eandem numero potest reparare actionem; actio enim illa est quædam dependentia effectus à causa: non est autem implicancia vlla, quod redeat eadem dependentia. Aut dic posita distinctione reali actionis, & effectus per diuersam actionem Deum eandem numero rem reproduciturum: identitas verò temporis non requiritur; cum enim Deus sit agens in non tempore, sed supra tempus, vnitas, & identitas effectus Dei non dependebit à tempore, ergo ex nulla parte apparet repugnancia, quin Deus quamcunque rem saltem permanentem possit reproducere.

Quarto: Potuit Deus ex nihilo res producere, & de facto produxit, ergo rem productam, aut annihilatam poterit de nouo reproducere; non enim magis refugit intellectus comprehendere rem in nihilum redactam posse redire eandem numero, quam rem, quæ semper fuit nihil, fieri aliquid.

Confirmatur: Non videtur maior potentia requiri ad eandem rem numero corruptam restituendam, quam ad collocandam vnum numero corpus in diuersis locis circumscriptiue; sed Deus id posterius potest præstare, vt ostendimus